

## Band XI., Nr. N5571, Seite 465-466

*Der Abt von Hirsau bezeugt, dass künftig der Propst von Rot dem  
Bischof von Augsburg gehorsam sein soll.*

Augsburg, 1223. Juni 28.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris hanc paginam intuentibus et legentibus, quod ego . . . humilis provisor Hirsaugensis ecclesie parrochiam in Roth<sup>1</sup> Augustensis diocesis de misericordia et indulgentia domini Honorii pape cum privilegio ipsius propter penuriam loci et pauperum sustentationem frequenter ibi hospitantium preposito R. suisque successoribus de cetero habendam contulimus, super quo Syfridus Augustensis ecclesie episcopus tamquam in preiudicium sue diocesis hoc esse factum commotus suam nobis confirmationem et assensum negavit. Quapropter prudentum virorum sui que et nostri capituli habito consilio statuimus et utrinque confirmavimus, cum per frequentes mutationes ledantur ecclesie et iura eorum pervertantur, ut predictus R. prepositus sui que successores eadem obedientia qua ceteri in ipsa diocesi prelati vel parrochiani predicto episcopo suisque successoribus constringantur et sic ipsum prepositum R. suosque successores perpetualiter tamquam veros pastores salvo iure utriusque ecclesie stabilivimus. Ut autem hec rata et inconvulsa perpetuo permaneant, salvo iure utriusque ecclesie sigillo nostro confirmavimus. Huius rei testes ad hoc vocati sunt: Goteboldus abbas in Nerensheim et Conradus abbas in Werdea<sup>2</sup> et Marquardus abbas in Deckingen<sup>3</sup> et de nostris aliqui scilicet Winterus cappelanus meus et Alberthus custos in Roth et Conradus Guszeregin et Rapodo Augustensis ecclesie maior prepositus, Henricus scolasticus, Hermannus sancti Mauritii in Augusta prepositus et totum capitulum maius.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, quarto kalendas Julii, indictione undecima.

Data in Augusta civitate.

—

Der Textabdruck folgt einer Abschrift des 16. Jahrhunderts auf Papier, vgl. zu dieser Urkunde die Nr. N28 (WUB, Bd. V, S. 414 f.).

<sup>1</sup>Mönchsrot.

<sup>2</sup>Donauwörth.

<sup>3</sup>Mönchsdeggingen.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

A 181 Bü 1

**Überlieferung und Textkritik:**

Abschrift. Bei fragmentarischen Akten betr. Streitigkeiten zwischen Öttingen und Hirsau.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Augsburg

**Aussteller:**

Hirsau; Abt

**Ortsindex:**

Augsburg, A

Donauwörth, DON

Hirsau Wohnplatz (6984)

Hirsau, Calw, CW

Mönchsroth, AN

Neresheim Wohnplatz (4712)

Neresheim, AA